

ita baptizans peccare venialiter. Ceterum si homo illiteratus verb. gr. obiter in casu necessitatis privatim baptizet, confutius, & melius, ut vulgari, seu communi lingua baptizet. Similiter valida, etsi venialiter illicita foret forma, si diceret: Ego te abluo in nomine Patris, &c. Vel Ego baptizo Dominationem, vel Majestatem vestram in nomine Patris, &c. Layman, Bonacina, La Croix &c. V. Valida est sequens forma: Baptizo te ego. Vel te baptizo ego in nomine Patris, &c. Vel: in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti ego te baptizo. VI. Valet Baptismus collatus sub hac forma: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, si casu vel ex ignorantia pro Filii dicatur Fili. Ita La Croix lib. 6. p. 1. n. 36. idem foret juxta ipsum, si quis pro baptizo, ex ignorantia vel casu diceret baptizo.

III. Formæ Baptismi invalidæ sunt sequentes. I. Ego te baptizo in Nominibus Patris, &c. Ego te baptizo in nomine totius SS. Trinitatis, vel in nomine Dei, aut in nomine Christi. II. Ego te baptizo cum Patre, & Filio, & Spiritu sancto. Vel per Patrem, & Filium, &c. Vel in Patre, & Filio, &c. III. Ego te baptizo in nomine Paternitatis, & Filiationis, & Spiritalis passivæ. Ego te baptizo in nomine Dei, Sanctæ, & veræ Crucis. Ego te baptizo in nomine Matris, &c. IV. Si in lingua Germanica omittatur Pronomen Ego, dicendo: tauffe dich, est forma invalida, quia hæc vox tauffe, omisso pronome magis significat imperativum, quam indicativum. V. Similiter invalidæ sunt formæ sequentes: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Gratia Spiritus sancti. Ego te baptizo in nomine Patris. Ego te baptizo in nomine Filii. Ego te baptizo in nomine Spiritus sancti. Ego te baptizo in nomine Patris, per Filium, in Spiritu sancto. Ego te baptizo in nomine Dei unius, & Trini. VI. Si quis diceret: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, B. Mariae Virginis, & omnium Sanctorum, resolvit D. Thomas q. 66. art. 8. Valere Baptismum, si per illam appendicem tantum petatur intercessio Beatissimæ Virginis, & Sanctorum: Si autem intelligatur in nomine Beatissimæ Virginis, & Sanctorum baptizari, sicut in nomine Trinitatis, Baptismus est invalidus. Quod etiam tradit Vasquez disp. 139. n. 107. VII. Si quis diceret: Nos te baptizamus in nomine Patris, &c. distinguit Doctor noster Seraphicus S. Bonaventura q. 4. disp. 6. Vel talis baptizans loqui intendit politicè, more magnatum, qui loco Ego solent se nominare Nos, tunc validum est Sacramentum, sed venialiter illicitum La Croix n. 37. Ratio est, quia Nos te baptizamus, in sensu politico idem sonat, ac Ego te baptizo. Quod si verò intendat nominare etiam alios administratores, tunc invalidum est Sacramentum de quo plura infra de Ministro Baptismi.

IV. Formæ Baptismi dubiæ sunt sequentes. I. Ego te baptizo in nomine primæ, secundæ, & tertie Personæ SS. Trinitatis, aut in nomine Genitoris, Geniti, & Procedentis ab utroque, aut in nomine Ingeniti, Geniti, & Doni, aut in nomine Creatoris, Redemptoris, & Sanctificatoris, vel in nomine Omnipotentis, Sapientis, & boni, &c. II. Ego te baptizo in nomine Patris, & in nomine Filii, & in nomine Spiritus sancti. III. Ego te baptizo in nomine Filii, & Patris, & Spiritus sancti. Ita noster Alexander Aletius apud Layman lib. 4. tr. 2. c. 4. n. 6. IV. Ego Patris baptizo te in nomine, & Filii, & Spiritus sancti. Certò tamen est invalida forma, si dicatur, baptizo in te nomine Patris, & Filii, &c. uti rectè Lugo: Rhodus, Coninch. apud La Croix lib. 6. p. 1. n. 32. Hæc verò: Ego te baptizo in nomine Dei Patris, & Filii, & Spiritus sancti, vel Ego te baptizo in nomine Dei Patris, & Dei Spiritus sancti, est valida. Igitur quando in collatione Baptismi forma dubia est adhibita, semper est repetendus sub conditione ob periculum salutis æternæ baptizati. Quare Gobat tr. 2. de baptismo. Casu 5. nu. 160. docet, Parochos peccare mortaliter, si non examinent obsterices, an rectè baptizare sciant: obsterices autem sub mortali teneri addicere rectum baptizandi modum: docent S. Antonin. Henric. Reginaldus. Aliique multi cum Averfa apud La Croix c. n. 170.

SECTIO II.

De Ministro, & subjecto Baptismi.

QUESTIO I.

De Ministro Baptismi.

SUMMARIUM.

32. Baptismus potest conferri solemniter, & privatim. 33. Quis sit Minister Baptismi valide conferendi?

34. Quis Minister Ordinarius? 35. Quis ex delegatione? 36. Unus potest simul plures baptizare. 37. Si plures simul abluant idem corpus, et formam proferant, valet baptismus. 38. Si verò unus alterum præveniat, primus confert Sacramentum, alter non. 39. Si unus abluat corpus, alter verò proferat formam, nullus sit baptismus. 40. Si plures, et abluant, et proferant formam dicendo: Nos te baptizamus, nullum faciunt baptismum. 41. Omnes ab obstericibus baptizati sunt rebaptizandi, si sit ita statutum, vel consuetum in Diocesi. 42. Aliis non omnes sunt rebaptizandi. 43. Attamen plerique.

ASSERTIO I.

Omnis Homo potens abluere, & proferre Verba formæ baptismi cum debita intentione, cujuscunque sexus, & status, conditionis, aut Religionis sit, valide semper, & urgente necessitate, etiam licite potest privatim, & sine solemnitate baptizare, soli tamen Episcopi, & Sacerdotes sunt Ministri Ordinarii baptismi solemniter administrandi: Diaconi verò sunt Ministri Delegati ab Ordinario. Unus potest simul plures baptizare, ac etiam plures unum, si simul, & semel quilibet eorum affundat Aquam, et pronuntiet formam. Baptizati ab obstericibus ordinariè sunt rebaptizandi. Communissima DD.

S. I. Minister Baptismi Ordinarius, et extraordinarius.

Baptismus potest dupliciter administrari, videlicet solemniter, et privatim. Solemniter administratur, quando confertur cum cæremoniis Ecclesiæ, & ab Ecclesiæ Ministris ex Officio. Privatim confertur, quando præcisè essentialia adhibentur, omisissis Cæremoniis Ecclesiasticis. Quare etiam baptismus alius dicitur Necessitatis, alius Solemnitatis. Necessitatis dicitur, qui necessitate urgente confertur, præcisè adhibendo essentialia. Solemnitatis verò, dum etiam adhibentur Cæremoniæ Ecclesiæ: Minister baptismi necessitatis dicitur Extraordinarius; Minister verò baptismi Solemnitatis vocatur Ordinarius. Ubi bene advertit Gobat tr. 2. de baptismo. Casu 16. n. 487. quòd ad baptismum solemnem non requiratur, ut conferatur in Ecclesia sed baptismus solemnem sit proprie ille, qui confertur quocunque loco, cum Cæremoniis præscriptis ab Ecclesia. Unde bene concludit Gobat cit. n. 480. Sacerdotem in statu disgratiæ administrantem baptismum, cum Cæremoniis saltem prioribus, in domo sæculari, peccare mortaliter: Subdiaconum incurere irregularitatem, si baptizaret etiam in domo privata cum Cæremoniis Ecclesiæ: Patrum esse necessarium ad baptismum, qui cum Cæremoniis Ecclesiæ confertur in domo sæculari, & ex tali baptismo: Patrum contrahere cognationem spirituales, quæ sit impedimentum dirimeus Matrimonium contrahendum. Jam dicitur in

11. Omnis Homo potens abluere, & proferre verba formæ baptismi cum debita intentione, cujuscunque sexus, & status, conditionis, aut Religionis sit, valide semper, & urgente necessitate etiam licite baptizare potest privatim & sine solemnitate, seu Cæremoniis Ecclesiasticis. Communissima cum D. Th. 67. a. 2. Scotus 4. d. 6. q. 1. Ratio est: quia id definitum est c. p. miter, de Summa Trinitate et c. à quodam Judo, de Consecr. dist. 4. & in Concilio Florentino, in Decreto de Armenis dicentes: Minister hujus Sacramenti (baptismi) est Sacerdos, cui ex Officio competit baptizare: in casu autem necessitatis, non solum Sacerdos, vel Diaconus, sed etiam Laicus, et Mulier, imò etiam Paganus, et Hæreticus baptizare potest, dummodo formam servet Ecclesiæ, et facere intendat, quod facit Ecclesia. Et quamvis loquatur de casu necessitatis; idem tamen est quoad valorem extra casum necessitatis, ut omnes intelligunt, quia Nicolaus Papa in c. quodam Judo c. statuit Baptismum à Judo sub legitima forma collatum, esse validum, nulla facta mentione necessitatis. Idem definit Conc. Trid. sess. 7. can. 4. de baptismo, nimirum baptismum ab hæreticis collatum, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, supposita tamen legitima materia, & forma, esse verum baptismum, etiam extra casum necessitatis ab illdem conferatur. Ratio à priori est institutio Christi, nobis manifestata per Ecclesiam. Ratio verò congruentiæ est summa necessitas hujus Sacramenti, propter quam convenientissimum erat, quemvis hominem viatorem usu rationis præditum, initiare Ministerium illius valide conferendi.

III. Minister baptismi Ordinarius, sive ex Officio, & solemniter

mniter administrandi, est Papa respectu totius mundi, Episcopus respectu suæ Diocesis, Parochus; (etiam tantum Diaconus, juxta Gobat cit. num. 139.) respectu suæ Parochiæ, vel alius Sacerdos, qui tamen debet habere jurisdictionem, ut licite illum administret extra necessitatem: & nullus alius. Patet ex Concilio Florent. cit. quòd cum loquatur dogmaticè, excludit omnes reliquos inferiores. Ratio est: quia administratio Sacramentorum est actus Pastoris, & per consequens requirit in administrante jurisdictionem Ordinariam, vel delegatam. Deinde per Baptismum admittitur aliquis in familiam Christi cum Jure communicandi omnibus ejus Privilegiis; atqui nullus admittit extraneum in aliquam politicam communitatem, nisi Princeps, aut alius habens in eam aliquam Jurisdictionem: Ergo. Hanc Jurisdictionem habet Papa in totum mundum, Episcopus in suam Diocesim, Parochus in suam Parochiam, alii Sacerdotes juxta amplitudinem suæ Commissionis. Unde si extra necessitatem alii Sacerdotes absque Licentia, vel Privilegio tenentur baptizare, graviter peccant: utpote usurpantes Officium, & auctoritatem alterius in re gravi; quamvis non incurant irregularitatem, aut excommunicationem, quæ nullo jure statuitur. Nec obstat quòd in baptizandum nequeat dari Jurisdicchio Ecclesiastica, cum ante baptismum re ipsa susceptum nemo subijciatur Ecclesiæ Jurisdictioni; Non obstat, inquam, etsi enim directè Jurisdicchio habeatur solum per Baptismum re ipsa susceptum; indirectè tamen ratione loci; in quo baptizandus versatur, aut ejus Parentes commorantur, sive familiarè, ad quam admittitur, potest, & debet ante Baptismum haberi in baptizandum extra Articulum necessitatis. Henric. disp. 6. de Baptismo. q. 1. n. 6.

IV. Eti Diaconus non possit ordinariè baptizare ex vi suæ Ordinationis, ex hac tamen est capax, ut rationabili causa existente, possit solemniter baptizare ex Commissione Episcopi, aut Sacerdotis. Ita communiter DD. apud Henric. mox cit. disp. 6. de Baptismo. q. 1. n. 7. Ratio est: quia in Ordinatione Diaconi inter alia quoque dicitur: Diaconum oportet baptizare; nempe solemniter, cum enim Ecclesia id Diacono possit committere, censetur hoc facere, quando ipsum specialiter constituit Ministerium Baptismi, quo modo reliqui non sunt constituti. An verò extrema necessitate urgente possit Diaconus, citra Commissionem baptizare solemniter, probabiliter affirmant Suarez, Praepositus, & Alii; eò quòd specialiter Diaconus ad baptizandum sit Ordinatus: adeoque in extrema necessitate videatur ad id solemniter præstandum sufficere commissio tacita, seu rationabiliter præsumpta. Ita Henric. cit. n. 8. Porro rationabilis causa ad Baptismi administrationem Diacono committendam, non est sola extrema necessitas, sed etiam quævis alia judicio Ministri Ordinarii determinanda: ut cum ob multitudinem baptizandorum, infirmitatem Sacerdotis, aliâve graves causis vel occupationibus, non posset Sacerdos omnibus petentibus Baptismum satisfacere, sed alioquin cogenter, qui factis parati accedunt, cum incommodo diu Baptismum differre. Sic Apostoli, ut prædicationi vacarent, videntur Baptismum commississe Diaconis: Ex qua Commissione Philippus Diaconus baptizavit Eunuchum. Vix tamen hoc tempore, & in his locis, id est in usu, ob multitudinem Presbyterorum. Henric. cit. num. 9. Multò minus Clericus Diacono inferior, & adhuc multò minus Laicus potest, etiam in extrema necessitate, solemniter baptizare, nisi ex Commissione Papæ, juxta Communem praxim, & DD. Consensum: quia nullibi in jure permittitur talibus usurpatio istius solemnitatis, sed præcisè illud, quod postulat extrema necessitas, scilicet Baptismi substantia. Denique existente necessitate hic est Ordo servandus in conferendo Baptismo, ut Sacerdos præferatur Diacono, Diaconus Subdiacono, hic cæteri Clerici, Clerici Laici, viri sæminæ, non excommunicatus excommunicato, Fidelis infideli. Quod de Sacerdote quidem factis constat ex prædictis, siquidem grave fieret præjudicium Ordini Sacerdotali, cui Baptizandi jus primarium est annexum. Unde Doctores unanimiter tenent inversionem illius Ordinis esse mortalem ex genere suo, si Sacerdos sit ad baptizandum paratus. Quamvis Valentia, & Joannes Suarez, citati à Diana. p. 3. tract. 4. ref. 4. putent tantum esse veniale, apud Henric. cit. num. 11. Ratio est: quia, si parato Sacerdote baptizet Diaconus, vel inferior, indebitè usurpatur munus alienum, idque grave, quod Sacerdoti competit vi Ordinis, & si sit Parochus insuper Jure Officii Parochialis. Id ipsum Doctores communis contra nonnullos censent, si prætermisso Diacono baptizet inferior Clericus, aut Laicus: eò quòd Diaconus etiam ad baptizandum sit Ordinatus, adeoque ejus prætermisso sit etiam alieni muneris usurpatio. In reliquis inversio Ordi-

nis, etiam si dicat aliquam incongruentiam, non est tamen mortalis juxta Doctores passim. Varii tamen non improbabiler putant, esse mortalem, si non excommunicato præsentè, baptizet excommunicatus, vel præsentè Fidelè Baptismum conferat infidelis. Ita Dicastillo, apud Gobat. tr. 2. de Baptismo, num. 142. Per accidens tamen aliquando potest inverti in istis Ordine v. gr. mulier docta, & assueta baptizare præferatur viro rudi; aut in circumstantiis, in quibus pudoris gratia non decet virum accedere v. gr. si infans non sit omninò editus. Ita Rituale Romanum cit. de Ministro Baptismi.

S. II. Unus Minister.

Potest simul plures baptizare, applicando omnibus simul materiam, & dicendo: Ego Vos baptizo in nomine Patris, &c. Ita Doctor Subtilis 4. disp. 6. q. 2. n. 6. & Alii communiter. Ratio est: Quia potest Unus eadem forma consecrare plures Hostias, in periculo naufragii absolvere plures penitentes; Ergo etiam simul plures baptizare: eum nec Ratione, nec Auctoritate constet, requiri potius ad valorem Baptismi, quòd unus Solus baptizetur, quam ad valorem consecrationis, quòd unica hostia consecratur, aut ad valorem absolutionis, quòd unus tantum absolvatur. Quia tamen hoc est contra morem Ecclesiæ in re gravi, advertit Scotus cit. Coninch, Henric. & alii, illud sine mortali non licere extra gravem necessitatem: quidquid Aliqui putent, non esse mortale. Confirmatur ex Rituali Romano, Tit. de baptizandis parvulis, ubi agens de forma: Ego vos baptizo, &c. ait: Quam tamen formam in eis solum, & in aliis simul: mortis periculis, ad plures simul baptizandos, & ubi tempus non patitur, ut singuli separatim baptizentur, aliàs nunquam licet adhibere, quod denotat gravem culpam juxta gravitatem rei, ait Henric. cit. quest. 2. n. 14. Notat autem idem Scotus, in illo casu fore plura Baptismata; Nam baptizatio est actio transiens, quæ afficit terminum, & multiplicatur penes multiplicationem illius. Deinde sunt plures baptizaciones Passivæ, quæ juxta supra dicta sunt materia proxima Baptismi. Et quamvis una tantum videatur esse forma, est tamen virtualiter multiplex; eò quòd Pronomen Vos, includat in se singulare plures geminatum. Deinde ad multiplicationem totius sufficit multiplicatio unius partis. Et in hoc consentiunt quoque cæteri Doctores communiter.

S. III. Plures Ministri.

SI simul & eodem tempore idem Corpus abluant, ac debita formam cum debita intentione pronuntient, validus est Baptismus. Ita Doctores Seraphicus, Angelicus, Subtilis, & Irrefragabilis, quos passim sequuntur tam veteres, quam Recentiores Theologi. Ratio est: Quia tunc ad cujuscunque actiones concurrunt omnia ad Baptismi Essentiam necessaria, & versantur circa subiectum capax, cum simul finiuntur. Confirmatur Exemplo Sacerdotum noviter ordinatorum, qui simul cum Episcopo consecrant, & conficiunt Sacramentum Eucharistiæ, si simul cum illo finiant verba Consecrationis. Hoc autem casu (putat Henric. cit. quest. 2. num. 19) Multiplex Baptismus physice loquendo conferretur; quia forent plures formæ integre, & plures Materie perfectæ, adeoque plura composita, seu Baptismata; Moraliter tamen esset unus Baptismus, & unum Sacramentum; tum ratione unius, & ejusdem subiecti: tum ratione ejusdem Principalis agentis, in cuius virtute Ministri operantur; tum denique ratione ejusdem effectus producti, & significati: Totum enim illud significum à quolibet adhibitum, non plus efficit, aut significat, quam si esset unica Ablutio, & unica forma posita. Quod patet quantum ad Characterem: Cum idem sit unicuique solùm Character Baptismalis capax. De unica quoque gratia per talem multiplicem Baptismum conferenda, idem videntur Doctores potius supponere, quam probare, quia in hoc casu plures Baptismi essent causæ totales unius Gratiae, non totalitate causæ, sed totalitate effectus tantum.

II. Si plures simul baptizent, & alter alteram præveniat quoad prolationem formæ, primus confert Sacramentum, altero nihil efficiente. Communissima. Ratio est obvia; quia postquam ille semel Sacramentum perfecit, ut supponitur, alius nihil efficere potest; Siquidem semel baptizatus non est capax sequentis Baptismi; & Baptismus collatus iam baptizato verum Sacramentum non est.

III. Si Unus abluat Corpus, alter verò proferat verba formæ baptismi, nullus sit Baptismus. Ita D. Bonaventura D. Thomas, Scotus, Aletius, apud nostrum in 4. disp. 2. quest.



quest. 3. num. 68. Ratio verò est, quam *Doct. Sublis 4. d. 6. quest. 2.* indicat: Quia actus ille esset contra Christi institutionem, qui taliter instituit Baptismum, ut ab uno Ministro utraque actio prodiret, & ablutio nimirum, & forma. Et colligitur ex verbis Evangelicis: *baptizantes eos* etc. quæ Verba ex mente Christi sic intelligenda sunt, ut idem ipse Minister actum abluionis exerceat, & verba ipsa proferat: & hanc fuisse Christi voluntatem ex usu Ecclesiæ constat, qui est optimus Legum interpres, quippe nunquam visum est, vel auditum in Ecclesiâ, quòd Baptismus aliter fuerit administratus, quàm ab uno Ministro, qui simul ablueret, & formam proferret. In casu tamen necessitatis, si infans periclitetur vita, & nemo adesset, nisi mutus, & mutilatus utroque Brachio, ita succurri posset, ut tamen unus, idemque & verba profferret, & Aquam affunderet; nimirum si mancus à nudo brachiis instructo vas Aquæ supra caput reciperet, & baptizandum aspergeret, modica capitis inclinatione facta; vel melius, & facilius, si Mancus someret Aquam in Ore, & inde Catechumenum aspergeret, immediatè post, vel ante proferendo verba, vel alio simili modo. Ita *Maffius cit. n. 70.* citans pro se *Cajetanum* aliàs contrarium.

40 IV. Si plures & abluant, & simul verba proferant in hunc modum: *Nos te baptizamus*, nullum faciunt Baptismum. Ita apud *Maffium cit. n. 72.* *Divus Thomas, S. Bonaventura, Alensis, & Recenciores* passim, *Vasquez, Contnck, Caspensis, Bonacina, Ledesma, Centinus, & Alii.* Ratio est, quia in hoc casu mutaretur forma Baptismi à Christo instituta, & quidem essentialiter; Siquidem forma Baptismi ex sua ratione significandi, significat Baptismum ab uno Ministro perfecti, nimirum: *Ego te baptizo.* Unde consequenter significat ab illo causari adæquatè, & independentè ab alio; Atqui hæc forma: *Nos te baptizamus*, licet significet me baptizare, significat tamen me baptizare cum alio, & inadæquatè: Ergo hoc modo forma Baptismi, & ejus significatio mutaretur essentialiter. Neque solvit argumentum intentio Ministrorum, quod quilibet partialiter, & omnes insimul integrè velint baptizare, ut vult *Suarez, Aversa, & alii* Recenciores; quia intentio non suffragatur, ubi debita materia, & forma non applicatur; Sed hic debita forma non adhibetur ex dictis: Ergo. Objectiones Solutas vide apud *Maffium cit. num. 74.*

S. IV. *Ministra Baptismi Obstetrix.*

41 I. SI in aliqua Diocesi sit Statutum, ut omnes baptizati ab obstetricibus, rebaptizentur sub conditione, quale statutum, referent *Gobat. tr. 2. de Baptismo. num. 171.* est in diocesi Mechliniensi, Ispensi, Passaviensi, Augustana, & Curienfi) irreprehensibilis est Parochus, qui hac in re stat suæ Diocesis statuto, imò tenetur stare. Similiter si alicubi vigeat diuturna consuetudo, rebaptizandi sub conditione illos, qui fuere baptizati ab obstetricibus, in praxi debebis te eidem accomodare. Ratio: Quia tale statutum utique ab Episcopo Diocesis emanavit, & talis consuetudo, eodem consentiente, introducta fuit: ergo obtinebunt vim Legis juxta dicta de Legibus. Hic tamen bene monet *Gobat. cit. n. 175.* Vi statuti Diocesani, aut consuetudinis præcisè spectatæ, non acquiri aliquid Juris circa rebaptizationem; Etenim permissio, prohibitio, vel Jussio reiterandi Baptismi, tota prorsus pendet à Jure Divino, seu institutione Christi, sive loquamur de absoluto, sive de conditionato Baptismo; atqui nullum statutum Humanum, aut consuetudo valet quidquam immutare circa Jus Divinum, ex *cap. fin. de consuetud.* Omnesque Theologi; Ergo statutum, vel consuetudo plas non facit hic, quàm quòd sit quasi testis tot substantialium defectuum, partim certò, partim probabilissimè admissorum ab obstetricibus, ut prudenter possit dubitari de omnibus, (ubi vigeat consuetudo, vel statutum rebaptizandi omnes) vel de plerisque (ubi plerique solent rebaptizari) vel de paucissimis (ubi non sine singulari causa permittitur rebaptizatio) Baptismis, quos ex administrantur.

42 II. Abstrahendo à statutis particularibus, locorumque consuetudinibus, non quidem omnes omnino ab obstetricibus, aliisve mulieribus, aut viris Laicis baptizati, debent sub conditione rebaptizari. Ratio est: quia quandoque reperire est aliquos Laicos utriusque sexus tam ignaros omnium necessarium ad Essentialiam Baptismi, tam cautos, & circumspectos ac sibi præsentem in suis actionibus omnibus gravioris momenti, tam memores suorum dictorum, factorumque, tam denique perspectæ fidei, ac probitatis, ut qui eos novit, non possit sine temeritate dubitare, utrum sit credendum ipsis asseverantibus, se hac materia, hac forma, hac formæ & materiæ applicatione, & cum hac

intentione, fuisse usos; Atqui illi non sunt rebaptizandi, de quibus sine temeritate non potest dubitari, utrum rectè, ritèque sint baptizati, ergo non omnes omnino ab obstetricibus &c. baptizati, debent rebaptizari sub conditione.

43 III. At tamen plerique ab obstetricibus, aliisve mulieribus, aut viris Laicis baptizati debent sub conditione rebaptizari. Ita *Gobat. cit. n. 178.* Ratio est; Siquidem prudenter, seu sine temeritate dubitari potest, an illi sint ritè baptizati, de quorum baptizatoribus prudenter dubitari, & timeri potest, an sint predicti illis qualitatibus, quæ requiruntur in Ministro Baptismi ad hujus valorem; atqui potest de plerisque Laicis utriusque sexus dubitari, aut timeri, ac nominatim de obstetricibus; tum quia compertum est, multas illorum fuisse veneficas, permultas ex imperitia errasse substantialiter in forma, cum tamen putarentur optimè illam callere, Plures errasse, ex terrore & trepidatione; cum enim nec soleant, nec debeant à Laicis baptizari parvuli, nisi imminente periculo mortis; Illud autem periculum versans ob oculos, lamenta quoque Matris, labor, & vigilia, quibus crebrò defatigantur obstetrices, vinum, quo volunt quandoque sibi facere animos, & alia ejusmodi efficiunt, ut facile turbentur, & illam Unciam Judici, seu Prudentiæ, quo plebejæ mulieres polleant, propè amittant. Tum quia nimis pronum est errare circa illam similitatem seu conjunctionem materiæ, & formæ baptismalis, quæ à magnis Theologis exigitur, etiam à P. *Sporer Theol. Sacram. Parte 1. cap. 2. Sect. 1. num. 82.* Quæ rationes efficiunt (ait *Gobat. cit. num. 181.*) ut, quod de Baptismo obstetricum pronuntiat, asseram cum Quintanadvenas de Baptismo plerumque aliorum, & aliarum e Laicis, idque etiam potiori Jure, quòd & non habeant tantam triam Peritiam Praxicam, quantam obstetrices, & cognatio, vel affinitas cum Matre faciat nonnullas trifiores. Nec obstat, quòd obstetrici interrogata à Parocho, qualiter baptizaverit, dicat se hanc, aut illam rationem tenuisse, nec hic in ea videat ullum defectum: Non tamen mox tutò ei credit Parochus; quia fieri potest, ut ipsa putet, se tenuisse rationem, quam non tenuit. Et quid sit, ut sunt verecundæ, simul & superbæ Mulieres, *Tiraquellus Leg. Connubialium Leg. 1. num. 1. §. 2.* nolit fateri Erratum? Illud certum, quod *Layman hic cap. 5. n. 3.* tradit: mihi videtur rebaptizandum esse infantem, quando obstetrix variat in relatione sui Baptismi.

44 IV. Tamen, quando obstetrix est integræ famæ, animosior, & circumspedior, quàm vulgus Mulierum, versata jam in pluribus periculis ejusmodi, & probata, semper omnia egisse rectè, tum ne quidem sub conditione rebaptizanda est proles, quam hæc asseverat, esse à se legitime baptizatam. Ita *Quintanadvenas* apud *Gobat. cit. n. 183.* Ratio est: Quia in his circumstantiis non potest esse prudens dubium de vero Baptismo. Ex quibus infero cum *Gobat. cit. num. 167.* quòd obstetrices sub mortali teneantur addiscere formam, modumque rectè baptizandi; maxime si ex officio obstetricentur; & quòd Parochi sub mortali teneantur eisdem diligenter examinare, utrum & noverit necessaria conferendo Baptismati, & omnia necessaria adhibuerint tunc, cum fortè aliquem baptizantur; ac etiam quòd Parochis magnopere invigilandum sit ne obstetrices utantur variis superstitionibus circa puerperas, infantes, Patrinus, ut quando dant infanti in manus Ovum, Salem, Panem &c. Indè nescio quid ominantes, aut quando Puerperam nolunt in templum inducere diebus Lunæ, Mercurii, Veneris; perinde ac si hi dies forent Nefasti; aut quando petunt Christum baptismale, ut illo ungant puerperam ad reddendam parturitionem faciliorem, &c. Vide *Gobat. cit. n. 167. & seqq.*

Q U Æ S T I O II.

De Subjeçto Baptismi.

S U M M A R I U M.

- 46 Subjeçtum capax Baptismi est solus Homo viator.
- 47 Etiam parvulus; mox ubi natus est.
- 48 Etiam perpetuò amens, & ratione carens.
- 49 Quid dicendum de Catechumeno in periculo mortis? subito Sensibus destituito?
- 50 Infideles alii sunt baptizati, alii non baptizati? Hi vel non sunt subjeçti principibus Christianis, vel sunt subjeçti, idque vel civiliter, vel serviliter.
- 51 Parvuli infidelium quorumcumque validè baptizantur in vitis parentibus.
- 52 Parvuli hereticorum etiam licitè baptizantur in vitis parentibus.

- 53 In mortis periculo omnium infidelium parvuli licitè baptizantur in vitis parentibus.
- 54 An extra periculum mortis parvuli infidelium licitè baptizentur in vitis parentibus.

A S S E R T I O II.

45 Subjeçtum capax Baptismi est solus Homo viator, etiam parvulus, mox ubi natus est, ac etiam perpetuò amens. Parvuli infidelium quorumcumque validè semper baptizantur in vitis parentibus, & subinde etiam licitè. Est partim certa, partim Communis DD.

S. I. Subjeçtum capax Baptismi est solus Homo viator.

46 Est certum. Nam Sacramenta sunt instituta tamquam media, ad salutem solius Hominis viatoris. Deinde ad solos Homines baptizandos missi sunt Apostoli *Matth. ult. & Marc. ult.* Unde Homines in termino constituti non sunt capaces Baptismi. Similiter nec Creaturæ homine inferiores; Quare Satyri, aut Geniti ex femina & Bruto, non sunt baptizandi; uti nec Monstrum, quod non præferret speciem Hominis. Ita communis cum *Henricis disp. 6. q. 3. de Subjeçto Baptismi. n. 20.* Si verò Monstrum sit tale, ut de eo dubitetur, an sit homo, & animam habeat rationalem, si nihil certi dignoscere possit, quòd sit periculum imminere, juxta DD. communiter apud *Henricis cit. & Maffium Theol. Moral. disp. 17. quest. 3. n. 24.* baptizari debet, hac conditione adhibita: *Si es Homo, Ego te baptizo* etc. Quòd si postea certò constiterit, esse hominem, non est rebaptizandus; quia illa conditio semper fuit vera. Si verò nullum sit in mora periculum, medici consulti debent, & alii in hoc periti, ac etiam tutius erit, rem ad Episcopum deferre, ordinemque ab illo præscriptum exequi, ut habetur in *Rituale Romano, de Baptismo.* Si Monstrum autem tale sit, de quo dubitetur an sit unus Homo, vel plures, quale *Scarus. 4. d. 6. q. 2.* refert fuisse in Francia, quòd habebat duo capita, quorum unum voluit continere, & sobriè vivere, alterum verò voluit lascivire, & epulari, respondent Doctores communiter cum *Doctore citato*, quòd si tempus haberi potest ad discernendum, an Monstrum sit simpliciter una persona, vel duæ, de hoc debet haberi diligens inquisitio, antequàm baptizetur, discerni autem præsertim poterit, si unum vel plura capita in eo sint, vel plura pectora, tum enim toridem erunt corda, & animæ, hominesque distincti probabiliter loquendo; Quod notanter additur; quia, ait *Doct. cit.* nec signum de duobus capitibus esset omnino certum, quia tamen rarò, vel nunquam accidit quòd sint duæ animæ, quin sint duo capita, vel duæ partes principales capitis, subdit, quòd si certitudo haberi possit, quòd sint duæ animæ, & Personæ, singulæ sunt absolute baptizandæ; Si verò res maneat dubia, adhuc duplex Baptismus est conferendus, unus absolute in parte Principali, quam constat esse informatam animæ rationali; Alius sub conditione in parte, de qua dubitatur, an informetur eadem anima hoc modo: *si non es baptizatus. Ego te baptizo* etc.

S. II. Etiam Parvulus, mox, ubi natus est,

47 Est Subjeçtum capax Baptismi. Est de fide definitum in *Concilio Trident. Sess. 7. Can. 12. & 13. de Baptismo*, item *cap. firmius. de summa Trinitate, & cap. Majores. de Baptismo.* Patet etiam ex continua Ecclesiæ traditione, cujus testis est *S. Augustinus lib. 4. de Bapt. cap. 23.* & alii Patres. Ratio est: quia omnes homines, etiam parvuli, nascuntur capaces regni caelorum, quòd tamen adipisci non possunt, nisi renascantur ex Aqua Baptismi, qui in parvulis non potest per votum suppleri. Confirmatur: Quia in Lege Naturæ & Mosaicæ parvulus etiam in infantia erat capax remedii evadentis à peccato Originali: ergo multò magis in Lege Nova, in qua post Christi passionem gratia est uberior, & universatior. Nec obstat, quòd *Anabaptistæ* obijciunt, videlicet in parvulis non reperiri intentionem suscipiendi Sacramentum; Respondetur enim, in parvulis illam non requiri; quia sicut abique propria voluntate Personali, per voluntatem Adæ constituti sunt peccatores damnationi obnoxii: ita abique illa regenerantur in vitam Justitiæ per Baptismum ex voluntate secundi Adæ Christi Domini, qui omni ætate de mediis ad salutem providit juxta suam capacitatem. Didum est: *Parvulus. mox, ubi natus est*, scilicet extra uterum materum, quamdiu enim in illo exiit, baptizari nequit, quemadmodum tamdiu regulariter non potest abluì, juxta *c. si quidquid. de consecr. dist. 4.* & certam Theologorum doctrinam teste *Henricis cit.*

quest. 3. num. 23. Si tamen obstetrix foret tam perita, ut manu in uterum inserta, vel alio instrumento, prolem aqua perfundere posset, aut aliquoartificio posset Aqua ad infantem deduci, adjecta debita verborum forma probabiliter validè baptizaretur; sicut verè lavaretur. Quantum ad proles ex utero materno exsectas, etsi validè baptizentur, non licet tamen in istum finem matrem innocentem occidere: Cùm, ut eveniant bona, non sint faciendæ mala, prout mala semper est directæ occisio innocentis. Si tamen Mater justè foret morti adjudicata, posset mors Matris, servato Ordine Juris, accelerari excisione parvuli, quando speraretur sic posse salvari, & alioquin certò crederetur priùs moriturus, quàm ad partum seu nativitatem perveniret. Quod, quia non est natum ferè, imò quia plus plerumque periculi imminet ex morte violenta Matris, quàm obveniente ex natura, aut alio casu: idcirco Lege *Prægnantis*, ff. *de Panis*, decernitur Judicium Prægnantis esse differendum, quousque factum fuerit enixa. Hoc tamen meritò observandum Parochis, obstetricibus & aliis parturienti præsentibus, quòd advertit *Gobat. tr. 2. de Baptismo. casu 8. n. 260.* ut videlicet, quando parturientis agit animam, nondum edita prole, ejus scilicet parturientis ori aliquid imponatur, ne videlicet infanti adhuc in ejusdem utero existenti, obturetur via respiratoris, & mox, ut mortua est Mater, ejus venter per sectionem aperiat, & foetoleximat, ac Lavacro baptismali abluatur; quia falsum est, quòd Matre mortua, statim etiam proles in utero extingatur: Siquidem etiam Matre extincta, prolem vivam ex utero extractam fuisse, & sacro lavacro tinctam, probat *Gobat. cit. n. 58. & seqq.* multis Authoritatibus, & casibus. Quare etiam ad hunc modum juvandi infantes in utero existentes, & de salute æterna periclitantes, obligari Patrem Proles, consanguineos, domesticos, vel alios assistantes; imò etiam Parochos, scribit *Carolus Mussart in manuali Parochorum, part. 2. cap. 2. n. 2.*

S. III. Etiam perpetuò Amens

48 Baptizari debet, sicut infantes, juxta communissimam: Ratio est: Quia Baptismus est Sacramentum maximè necessitatis: Ergo etiam conferri debet perpetuò amentibus, etiamsi hi peccato Originali infecti sint, & sicut, ad valorem Baptismi infantis non est opus, ut baptizetur cum ejus consensu, cujus tunc non est capax, cum usu rationis careat: ita neque ad valorem Baptismi amentis necessarius est ejus consensus, sed sufficit Christi, & Ecclesiæ voluntas. Ita *Bellarminus, Henricus, Bonacina, & Alii* passim ex *Concilio Carthaginensi, & Arausiano*, Idque præscribit *Rituale Romanum, tit. de Baptismo adultorum.* Idem dicendum de iis, qui ad annos discretionis nondum pervenerunt, Si verò amentes aliquando usum rationis habuerunt, & postea in amentiam lapsi sunt, distinguendum est; Etenim si constet illos, dum mentis compotes essent, Baptismum petiisse, vel exoptasse, nec voluntatem illam mutasse, Baptismus erit illis conferendus; si verò dubitetur, an petierint Baptismum ante amentiam, inquirunt Doctores citati, baptizandos esse sub conditione: *si baptismum petierunt, modo non constet, eos permanisse in statu peccati mortalis.* Et ratio est: quia melius est eos decedere cum Baptismo dubio; quàm sine ullo baptismo. Verùm si constet in statu peccati mortalis permanisse, v. g. in concubinato, non sunt baptizandi: quia baptizarentur cum obice, & Sacramentum ministraretur indignis. Hæc tota Doctrina est *Scoti in 4. d. 4. q. 4.* apud *Maffium Theol. Moral. disp. 17. q. 3. num. 41.* & communis Theologorum. Sed quid si Catechumenus constitutus in mortis articulo, subito sensibus destituatur, deberent baptizari, licet Baptismum antea non petiisset, nec ad interrogata respondere posset? Respondet *Dom. Joannes Maria Sbogar in sua Theologia radicali tractatu 13. cap. 5. n. 41.* Affirmativè. Ratio est: quia Catechumeni voluntas, dum fuerat sanus, erat velle recipere fidem, prout ex se clarum est; aliàs nunquam in numerum Catechumenorum inscribi solisset: Ergo licet pro tunc nequeat dare signum externum pro petendo Baptismo, internè tamen credendum est, ipsum velle suscipere. Deinde quia ipse *S. Augustinus* ad hanc quæstionem solvendam sic loquitur: *Catechumenus ergo in hujus vite ultimo constituitis, si morbo, seu casu aliquo sic oppressi sint, ut quamvis adhuc vivunt, petere tamen sibi baptismum, vel ad interrogata respondere non possint, prestis eis, quòd eorum vita Christiana jam nota voluntas est, ut eo modo baptizentur, quomodo baptizantur infantes, quorum voluntas nulla adhuc patuit.* Ut autem omnis scrupulus circa hoc dubium solvatur, tunc suadeo in tali Baptismo non conditionem apponere, si es capax, vel dispositus, tunc ego te baptizo &c. sicque facien-